

Multa in Sophocle restare, quae, quamvis inde a Brunckio usque ad nostram aetatem viri docti ad poetam studiosissime tractandum se dare nunquam desierint, ad veram seu interpretationem seu lectionem medicina etiam nunc egeant, nemini ignotum esse arbitror. Quae cum ita sint, scribendi opportunitate oblata Sophoclis Oedipi Tyranni chori canticum, quod versibus 863—910 continetur, percensendum mihi proposui, si ad enodandas difficultates, quibus hic quoque locus laborat, aliquid certe, quantulumcunque est, pro facultatibus meis possem conferre. Qua in re num quid profecerim, aliis diiudicandum relinquo. Ab iis, qui exiguam hanc symbolam lecturi sunt, id solum peto, ut hic illic conniveant benigneque de cura mea iudicent.

Sed ne in medias, quod aiunt, res incidam, chori, de quo acturi sumus, argumentum tribus verbis exponere mihi liceat.

Choro hoc, qui plenus est gravitatis maiestatisque, senes Thebani contemni ab Oedipo et Jocasta oracula Laio olim de filio data indignati talis, qualis ab rege et regis uxore commissa sit divini cultus negligentia, si forte latius serpat, quin summa reipublicae in periculum adducatur, fieri non posse ostendunt. Superbiam fontem esse mali et miseriarum, pietatem sanctamque morum integritatem vitae beatae fortunataeque parentem. Quare domus regiae levitatem imprimis respiciens chorus leges eas laudibus celebrat, quae innatae et in animis hominum a dis ipsis quasi insculptae in aeternum ab aeterno tempore vigeant. Qui in omni vita veri rectique leges pio animo colit, deorum immortalium gratiam sibi conciliat. Si quis autem ultricem iustitiam non veritus eo insolentiae progreditur, ut leges divinas impie nefarieque violet, is et salutem publicam pessum dat et ipse ex insolentiae fastigio in exitium praecipitatur, unde effugere nequit. Male homo perdita voluntate pereat! Nam ea est humilitate, ut quaestui sordide deditus multa proterve in deos hominesque committat. Nisi is, qui fraudem facit legibus, merito poenas luet, nemo certe iram ab animo suo arcebit. Quare ne quis metum deorum impune laedi posse existimet, chorus Jovem, siquidem vere vocetur omnium rector, orat atque obsecrat, ut oracula illa ab Apolline Laio olim data et ab Jocasta in dubium vocata verissima esse ostendat. Quod ni fiat, periculum esse, ne pietas erga deos, quae imminui iam coeperit, radicitus tollatur.

Quibus praemissis iam ad singula persequenda transeo.

Στροφή α.

εἰ. Particula *εἰ* pro *εἴθε* vel *εἰ γάρ* a poetis optandi formulis promiscue adici solet. Similes loci sunt: Il. 24, 74 *ἀλλ' εἴ τις καλέσειε θεῶν Θέτιν ἄσπον ἐμεῖο*. Aeschyl. Sept. 243 *αἰτουμενῶ μοι κοῦφον εἰ δόξης τέλος*. Eur. Hec. 836 *εἴ μοι γένοιτο φθόγγος*. De qua re praeter alios Valck. ad Eur. Phoen. 761 haec adnotat: „Frequentius *εἰ γάρ*, non numquam *εἰ* simpliciter positum optantis est et significat utinam.“ Plura dat Matthiae, Ausführliche Griechische Grammatik § 617, 4.

φέρουσι. Vocabulo *φέρειν* hoc loco simili modo usus est poeta atque infra 1190 *τίς ἀνήρ πλέον τῆς εὐδαιμονίας φέρει*; et Oed. Col. 651 *οἴκουν πέρα γ' ἂν οὐδὲν ἢ λόγῳ φέροις*. Significat autem: sibi ferre, capere, quo sensu medii generis forma frequentior est.

Quod pro infinitivo, quem unus alterve requirat, participium legitur, nihil est, quod miremur: per attractionem, quam usitatissimam apud Graecos esse satis constat, verbum ex *ξυνελήμοιρα* pendens praeenti dativo accommodatum est.

Pro *φέροντι* Blaydesius legi vult *τρέφοντι*. Quae coniectura, ut ingenue fatear, mihi adeo non probatur, ut prorsus eam reiciendam esse existimem. Nam praeterea quod vir doctus a lectione, quam libri manu scripti praebent, nulla probabili causa commotus recedit, ab animo meo impetrare non possum, ut verbum *τρέφειν* loco nostro, cuius sensus est simplicissimus neque ulla impeditus difficultate, convenientius esse concedam.

In emendandis scriptoribus alii aliam viam ingressi sunt. Ut, quae mea sit de hac re sententia, in ipso huius disputatiunculae vestibulo plane profitear, equidem codicum atque imprimis Laurentiani [La], quem ut vetustate ita auctoritate reliquis longe praestare libris viri docti consentiunt, scripturam retinendam esse censeo, nisi ubi vi quadam pernecessaria, ut ad coniecturas refugiamus, adducimur. Quae cum ita sint, hoc quoque loco ad vulgatam lectionem redeundum esse arbitror.

μοῖρα scholiasta idem valere vult atque *εὐτυχία*. Malim sequi Musgravium ita de hac re disserentem: „Non interpretor cum scholiasta fortuna secunda, sed simpliciter sors, fatum utinam mihi contingat pietatem colere.“

νόμοι ὑπίποδες. Sive *ὑπίποδες* sive tale quid scripsit poeta, dubium non est, quin caelestem legum naturam indicare voluerit. Legum enim, quae ab aeterno tempore animis hominum insitae sunt, tantum abest, ut in terris possit inveniri origo, ut contra in caelo genitae a dis ipsis profectae sint, unde fit, ut, cum nihil sit opere et manu factum, quod non vetustas conficiat, leges illae aeternae oblivione obscurari omnino nequeant. Hanc de legum origine opinionem apud veteres pervulgatam fuisse satis inter omnes constat. Ne longus sim, hos locos attulisse satis habebō: Soph. Ant. 454 *ἀγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα . . οὐ γὰρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' αἰεὶ ποτε ζῆ ταῦτα, κοῦδεις οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη*. Pl. 19, 92 *οὐ γὰρ ἐπ' οὐδὲ πύλαται, ἀλλ' ἄρα ἦγε κατ' ἀνδρῶν κρόατα βάλνει*. Xen. Mem. 4, 4, 19 *ἀγράφους τινὰς οἶδα νόμους; ἔχους ἂν εἰπεῖν, οὐ ἀνθρώποι αὐτοὺς ἔθεντο; Θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τοῦτους θεῖναι*.

Voluntate poetae, qualis hoc loco esse videtur, indagata si singula iam respicimus, in eo offendimus, quod versus 866 discrepat ab antistrophico, scilicet ob metricam formam. Verba enim *ὑπίποδες οὐρανίαν* cum antitheticis *ἀκροτάταν εἰσαναβᾶσ* non quadrare unusquisque videt. Quam difficultatem alii aliter tollere conati sunt. Qui codicum scripturam intactam relinquunt, ultimam vocabuli *ὑπίποδες* syllabam et arsi et caesura produci contendunt. Sed cum non nisi apud epicōs arsis eam vim habere videatur, ut eorum sententia vera sit vereor. Plerique editores, ut exactam stropharum responsionem efficerent, locum, de quo agitur, coniectando sanandum esse existimarunt. Et ii quidem, qui strophicum *ὑπίποδες* sanum putabant, *ἀκροτάταν* in *ἀκρότατον* vel *ἀκρότατα* vel tale quid mutarunt, sicut fecerunt Erfurdcius, Ritterus, Schubertus, Muffius, alii. Quid de hac re sit iudicandum, infra videbimus. Ii contra, qui antistrophico *ἀκροτάταν* patrocinabantur, *ὑπίποδες* mutare coacti sunt. Hanc viam, ut alios reticeam, Nauckius et Mauricius Schmidt ingressi sunt, quorum alter pro eo, quod in codicibus legitur, *ὑπιπετεῖς*, alter *ὑπιπόλιες* in textum recipi vult. Neutra vero, ut ingenue fatear, coniectura adeo mihi arridet, ut in ea acquiescere possim, propterea quod mea quidem sententia neque *ὑπιπετής* neque *ὑπιπόλις* aptum videtur, quod voci *νόμοι* epitheton adtribuat. Nam *ὑπιπετής*, quod a *πεσεῖν* formatum est, non a *πέτεσθαι*, ut *ὑπιπέτης*, nihil aliud significat nisi „de caelo delapsus“, in voce *ὑπίπολις* vero, ut iam concludi potest ex Ant. 370, ubi oppositum est *ἄπολις*, quod scholiasta interpretatur *ταπεινὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ*, haec vis inest: „altus in urbe“, „in civitate honoratissimus“. Quare repudiatis his coniecturis alia medela loco nostro adhibenda videtur. Cum, quae in antistropha leguntur, a poeta profecta esse mihi persuaserim, nulla interposita dubitatione ad eorum partes transeo, qui neglecta codicum auctoritate exactam metri responsionem coniectando efficere studeant. Sed versui, de quo agitur, ita consultum velim, ut *ὑπίποδες* mutem in *ὑπιπαγεῖς*, quod adiectivum, quamquam nusquam alibi apud Sophoclem invenitur, tamen poetae dicendi generi non repugnare videtur. Huc accedit, quod *νόμοι* summo iure a poeta dicuntur *ὑπιπαγεῖς*. De caelesti legum natura disputaturus hac voce utitur, ut in caelo defixas eas esse neque loco suo moveri posse demonstrat. Simili modo vocantur a Thucydide 1, 71 leges *ἀκίνητα νόμιμα* et 3, 37 *νόμοι ἀκίνητοι*. Quae si recte disputavi, nihil iam negotii superest, cum et epitheton, quod legi volo, ad vocem *νόμοι* admodum accommodatum esse videatur et metro antistrophico strophicum ad amussim respondeat.

οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες. Quae verba, quamvis ad sensum clara atque perspicua, tamen a criticis vario modo temptata sunt. Ac primum quidem Elmsleius *διά* delendum coniecit, auctore usus Aeschylō Ag. 1209 *πόντιον πέραν τραφεῖσαν ἀλλόθρου πόνιν.* Quae sententia cum ab Erfurdio iam repudiata sit his verbis: „At neque Aeschylus nec Sophocles nec quisquam alius aut est ita locutus aut potuit ita loqui. Nec dubito, quin id pridem ipse Elmsleius intellexerit“ — non est, cur plura de hac re dicam. Reliqui, qui hunc locum tractandum sibi proposuerunt viri docti, in eo omnes congruunt, quod *τεκνωθέντες* cum praepositione *διά* recte coniungi posse negant. Nec latet causa, cur vulgatam lectionem suppositiciam esse existiment. *Διά* coniunctum cum accusativo a poetis de loco usurpatur, quem quis permeat, verbum *τεκνωθέντες* autem praepositionem desiderare videtur, qua locus significatur, in quo fit aliquid, quare scholiasta iam adnotat *τεκνωθέντες δι' αἰθέρα ἀπὸ τοῦ ἐν οὐρανῷ τεχθέντες.* Difficultatem, quam in verbis, de quibus agimus, inesse putabant, ita tollere conati sunt critici, ut alii vocem *τεκνωθέντες*, alii praepositionem *διά* mutandam censerent. Longum est et abs re enarrare, quae a viris doctis per annos acute arguteque excogitata sunt; quare missis superiorum coniecturis recentiorum curas spectasse sufficiat. Ex quibus Bergkii scribi vult *οὐρανίαν δι' αἰθέρ' ἐκπαθέντες* vel *οὐρανίαν αἰθέρα τανυσθέντες*, Mauricius Seyffert *δι' αἰθέρα τεκμαρθέντες*, Otto *δι' αἰθέρα πικνωθέντες* [Quaest. Soph. Monast. 1868], cum Engerus [Philol. XV, pag. 109] et Hartungius servato, quod in codicibus invenitur, verbo *τεκνωθέντες* ita nodum expediri vellent, ut alter *οὐρανία'ν αἰθέρι*, alter *οὐράνιοι, διά αἰθέρι* in textum reciperet. Hae coniecturae, quamvis bonum praebeant sensum, non multum tamen mihi videntur habere veri similitudinis, cum tradita scriptura adeo non meo iudicio corruptelae suspicionem moveat, ut, cur tantopere haesitaverint in his verbis viri docti, prorsus non intellegam.

Praepositioni *διά* coniunctae cum accusativo in sermone poetico eam, quam supra exposuimus, significationem reapse inesse libenter largior. Nihilominus suo loco esse praepositionem *διά* persuasissimum mihi est. Res ita se habet, ut verbo *τεκνωθέντες* aliud contineatur velut *ταθέντες* vel *όντες*, ita ut, si curam verborum agere voluisset poeta, ei scribendum fuerit *νόμοι τεκνωθέντες ἐν οὐρανῷ καὶ ὄντες δι' αἰθέρα*, quod diffusius dicendi genus, praesertim cum sermoni poetico parum esset accommodatum, in angustum coëgit. Ellipsin, qualem loco nostro inesse statuimus, alibi quoque haud raro inveniri notum est. Ad Latinos provocans adnotatum velim Cic. de imp. Cn. Pomp. § 33, qui quidem locus nostro ex asse respondet: Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbes innumerabilesque alias captas esse commemorem, cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis? Verba „in potestatem esse“ ex latiore dictione „in potestatem venisse in eaque esse“ nimirum contracta sunt. Cum ita res se habeat, non sane erat, cur ad coniecturas confugerent interpretes nodumque in scirpo quaerent, cum, quae tradita sunt, a sermone Graeco adeo non abhorreant, ut optime possint defendi.

Poeta, postquam leges in caelo genitas esse explicavit, iam pergit: *ὄν Ὀλυμπος πατήρ μόνος, οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρον ἔκτεν.* Sunt, qui tautologiam, quam dicunt, his verbis inesse contendunt eamque ob rem negligentiam poetae exprobrent. Quibus adsentiri non possum. Fugit enim eos poetas, ut audientium animos attentos sibi faciant, parallelismo antithetico de industria ita uti solere, ut eandem rem bis diverso modo expriment. Similes loci sunt: Il. 17, 415 *οὐ γάρ μοι δοκέεις ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν ἔμμεναι, ἀλλ' ὄριστος.* Hymn. Merc. 243 *γνώ δ' οὐδ' ἠγνοίησε.* Aesch. Ch. 838 *ἦκω μὲν οὐκ ἄκλιτος, ἀλλ' ἐπάγγελος.* Soph. Oed. R. 58 *γνωτὰ κοῦκ ἄγνωτὰ μοι.* Ex his, quae attuli, satis apparere arbitror saepenumero ita loqui poetas, ut primo loco rem ipsam, qualis vere est, significant, deinde, quo maior sententiae, de qua agitur, vis quaedam accedat et pondus, contrarium eius addant. Quae cum ita sint, non habemus, quod hic quoque id factum esse miremur.

νίν dorica forma est, ut brevitati serviam, et valet h. l. idem atque *αὐτούς*. Apud Pindarum et tragicos accusativus encliticus *νιν* generis communis est nec solius numeri singularis, sed etiam dualis et pluralis significationem habet. De hac forma, cui respondet ionica *μίν*, plura dat Curtius Et.⁵, pag. 543.

θνατὰ. Forma dorica in Aldina legitur, *θνητή* in La, *θνατή* in inferioris notae codicibus. Editores secuti Aldinam, quam ex praestantissimo codice Parisino haustam esse inter viros doctos constat, formam doricam, in anapaestis spondiacis et carminibus melicis usitatam, pro La lectione prorsus merito in textum receperunt. De neglecto dorismo conferas velim, quae Dindorfius in praefatione ad ed. Poet. scaen. adnotat: „Quae contra dialectum peccarunt librarii pauca sunt in Promethei fabula, in qua minor quam in aliis fabulis carminum melicorum numerus

est, aliquanto plura in ceteris septemque Sophoclis et undeviginti Euripidis fabulis. In universum autem monendum frequentia librorum contra dialectum doricam peccata proximis demum ante codicem Aeschylis et Sophoclis Mediceum, qui saeculo undecimo ineunte scriptus est, ceterosque libros illata esse videri, quantum ex duobus, quae supersunt, foliis codicis Euripidis Claromontani, sex circiter saeculis antiquioris, colligi potest. Nam in his dialectus dorica tam accurate servata est, ut una tantum litera falsa reperiatur in fragm. p. 348, 31, ubi pro *παγαῖς* librarius scripsit *πηγαῖς*, si revera sic legitur in codicibus. Et de eadem re Weckleinius [Ars Sophoclis emendandi. Wirceburgi 1869] his verbis agit: „Fieri non poterat, quin posterioris aetatis librarii ex praesenti dicendi consuetudine formas in textum reciperent. Jure igitur Brunckius, Elmsleius, Dindorfius, Cobetus ubique neglectum dorismum et mutatas formas atticis vel flexionis vel ipsorum nominum verborumque auctoritate librorum posthabita restituerunt.“

οὐδὲ μήποτε λάθα κατακοιμάση. In codice Mediceo, a quo omnis disputatio initium capiat oportet, haec verba sic scripta invenimus: *οὐδὲ μὴν ποτε λάθραι* (eraso *ο*) *κατακοιμάση.* Elmsleius quoque eum secuti sunt, offensi forma *κατακοιμάση*, *μὴν ποτε* mutarunt in *μήποτε*, scilicet ut haberent, unde coniunctivus penderet. Neque vero quidquam mutandum est, cum *κατακοιμάση* pro subiunctivo habendum esse negem. Librarium negligentia similes formas indicativi et coniunctivi saepissime permutatas esse extra dubitationis aleam positum est. Ut igitur Oed. C. 849 La praebet *ὀδοιπορήσεις* pro *ὀδοιπορήσης*, ib. 910 *σῆσεις* pro *σῆσης*, ib. 1210 *σώζει* post *ἐάν* pro *σώζη*, sic nostro loco pro *κατακοιμάσει*, quod in archetypo fuisse pro certo habeo, *κατακοιμάση* librarii incuria in textum irrepsit. Quo concessio non est, quod cum Elmsleio a Laurentiani scriptura aberretur, cum *μὴν* vel *μάν*, quod chori cantico accommodatius esse videtur, suo esse loco unusquisque videat. — Pro *λάθραι*, quod sic exhibet La eraso *ο*, in quibusdam apographis legitur *λάθα*. Recentiorum interpretum Medicei auctoritatem sequuntur Langius, Engerus, Nauckius, Wolffius, cum Wunderus et Ritterus *λάθα*, Mauricius Schmidt *λάσθα* in textum receperint. Quid Sophocles scripserit, non difficile est ad diiudicandum. Sine dubio *λάθα* genuina scriptura habenda est. Nam, ut Weckleinius iam observavit, erasum *ο* argumento esse potest principio in *λάθραι* non fuisse *ι* adscriptum. Sententia, quam exprimere vult poeta, haec est: neque vero unquam leges oblivio conspiciet i. e. semper vim valoremque suum obtinebunt.

μέγας ἐν τούτοις θεός recte scholiasta explicat: *τούτέστι θεία δύναμις καὶ μεγάλη τοῖς νόμοις ἔνεστιν.* Mauricius Schmidt solus, quantum scio, verborum ordinem ita mutari voluit, ut legeretur: *θεός ἐν τούτοις μέγας.* Quod non probo. Nam praeterquam quod omnes libri manu scripti eam, quam supra adnotavi, verborum collocationem tuentur, viri docti coniectura iam ea de causa parum in se habet veri similitudinis, quod meo quidem iudicio dubitari nequit, quin poeta, quo maiorem verbis suis vim tribueret, adiectivum *μέγας* de industria in versus initio posuerit.

οὐδὲ γηράσκει pro *οὐδὲ γηράσκων.* Parataxis, quae vocatur, apud Graecos et poetas et solutae orationis scriptores usitatissima est. Cf. Kühner, Ausf. Gram. der griech. Sprache § 518.

Ἀντιστροφή α.

ἕβρις φντεῖει τύραννον. Hic locus, quamquam et ad verba et ad sensum nihil habet tenebrarum obscuritatisque, nihilo minus tamen interpretes valde diuque vexavit. Si paulo accuratius in eum inquirimus, primo obtutu apparet totius quaestionis quasi cardinem verti in vocibus *ἕβρις* et *τύραννος*, quae quid sibi velint hoc loco magnopere inter se discrepant critici. Existit enim dubitatio, utrum hae voces ad Oedipum et Jocastam referendae sint necne. Affirmant alii, alii negant. Musgravius, quem primo loco nomino, hunc fere in modum de hac re disputat: „*ἕβρις* non quadrat in Oedipi ingenium, qui minime omnium *ἕβριστικός*. Vide fabulae initium. Vel hinc igitur suspicari licet poetam relicto aliquantisper Oedipo in sua iam republica atque inter sui temporis homines versari. Nec longe quaerendus est, quem hic ut civibus formidolosum designare voluerit. Quis enim in historia Attica adeo hospes est, ut nesciat neminem unquam tot contumeliosi ingenii specimina edidisse quam Alcibiadem? Ob quod etiam optimatibus in tyrannidis affectandae suspicionem venit. Plutarchus: *οἱ μὲν ἔνδοξοι μετὰ τοῦ βδελύττεσθαι καὶ δυσχεραίνειν ἐφοβοῦντο τὴν δλιγωρίαν αὐτοῦ καὶ παρανομίαν ὡς τυραννικὰ καὶ ἀλλότοκα.* Hoc si paucissimis verbis significare volueris, nulla aptiora invenies, quam *ἕβρις φντεῖει τύραννον.*“ Wunderus, vestigia Musgravii secutus, quid sibi de hac re videatur, ita expromit: „*ἕβρις* cum dicitur *φντεῖει τύραννον* i. e.

μήτηρ τυραννίδος εἶναι hoc significatur: impietas mater est eorum hominum, qui regnum adfectant, i. e. qui leges divinas violant, solent eo insolentiae progredi, ut regnum adfectent ideoque reipublicae statum convellant et libertatem civium evertant. Sponte autem apparet non posse haec chori verba *ὑβρις φντεῖει τύραννον* ita dicta esse, ut voce *ὑβρις* Jocastae temeritas aut Oedipi levitas notata existimetur. In neutrum enim quadrat regni adfectatio. Ex quibus manifesto intelligitur Sophoclem relicto aliquantisper Oedipo de sua iam republica et sui temporis hominibus loqui. Erfurdlius Musgravii commentum, Alcibiadem hic ut regni affectatorem designari suspicantis, in medio relinquit. Longum est absque re h. l. exponere, quot Sophoclis interpretes Musgravius et Wunderus ad sententiam suam adduxerint. Equidem interpretandi rationem istis adeo non adsentior, ut contra utrumque magno teneri errore contendam. Et Musgravius et Wunderus verba *ὑβρις φντεῖει τύραννον* eiusmodi esse dicunt, ut ab Oedipi et Jocastae ingenio plane abhorreant. Non recte opinor. Si totam enim perleges fabulam, vel intentissima cura adhibita nihil certe invenies, quod ad poetae aetatem iure possit referri. Quid igitur hoc loco spectatoribus Alcibiadis memoriam revocaret poeta, ubi id potissimum agit, ut audientium exspectationem adversa Oedipi fortuna depingenda suspendat? Si, quae in his verbis explicandis Musgravio et Wundero ante oculos versata sunt, ad verum accederent, procul dubio dignus esset poeta, qui vehementer reprehenderetur, quod audientium animos a primarum partium actoribus nulla ratione avocaret. Neque vero est, cur tale quid poetam cogitasse ponamus. Immo si quis verba, in quibus offenderunt viri docti, libero iudicio ac non praeiudicata opinione examinaverit, eum chori dictum non ad Alcibiadem aut alium quemquam, sed ad Oedipum eiusque uxorem referendum esse statim concessurum confido. Vox *ὑβρις*, opposita *τῇ εὐσέπτῳ ἀγνείᾳ λόγων ἔργων τε πάντων*, significat eam insolentiam, quae veri rectique leges nihil moretur. *Τύραννος* vero non solum, ut placet Wundero, is est, qui eo insolentiae progrediatur, ut regnum adfectet ideoque civium libertatem evertat: quicumque legibus solutus ad suum arbitrium vivit atque, quam habet, potestate abutitur, tyrannus appellatur. Cf. Xen. Mem. 4, 6, 12 *διὰν μήτε κατὰ νόμους μήτε κατὰ ἔθνη πράττει τις εἰς ἀρχῶν μῶν οὐ τότε τὸν τοιοῦτον τύραννον κλητέον*; Soph. Oed. R. 588 *τύραννα δρᾶν* i. e. insolenter agere. Quibus praemissis nemini iam dubium esse potest, quin chorus dicto suo Oedipum petere voluerit. Quod *ὑβρις* ei exprobrat, id spectat, ut reprehendat levitatem ac temeritatem, qua Thebanorum rex consentiens cum coniuge deorum oracula spreverat. Ex insolentia vero rerumque divinarum violatione multifaria mala oriri solent. Quod ita esse Oedipi indignitate satis illustratur. Numinis divini contemptor mox eo progreditur, ut dignitatis suae immemor libidinibus frena permittat. Neque enim solum linguae intemperantia ad maledicta Creontis prolabitur, sed etiam stomacho iracundiaque vehementius effervescens animo adeo non imperat, ut uxoris fratrem, quem occulta cum Tiresia consilia communicasse persuasum habet, vel pessimo afficere leto paratus sit. Huc accedit, quod regem manus caede inquinasse choro notum exploratumque est.

Quae cum ita sint, nemo certe existat, qui vitio vertat choro, quod *τύραννον* appellet eum, qui perpetuam illam et aeternam legem, quae quasi dux vitae et magistra officiorum est, impie nefarieque violaverit. Senes enim Thebanos habuisse, cur acriter Oedipum vituperarent, satis exposuisse mihi videor. Quare si virorum, quos supra nominavi, iudicio nec *ὑβρις* nec *τυραννίς* in Oedipi ingenium quadrat, equidem contra haec vitia Oedipi ingenii valde propria esse contenderim. — Restat, ut commemorem esse, quibus verba, de quibus disputavimus, per hypallagen explicanda esse videantur, quam rem fulciat illud apud Stob. Floril. Tit. XLIII *ἢ γὰρ τυραννίς ἀδικίας μήτηρ ἔστω*. Temere Brunckium aliosque hypallagen finxisse eaque remota sententiam prodire aptissimam iam Erfurdlius probavit. Quae cum ita sint, plura afferre alienum est.

Εἰ ὑπερπλησθῆ. Sic legendum esse extra dubitationis aleam positum videtur. Brunckius ad hunc locum adnotat: „Perperam Aldus cum veteribus codicibus *εἰ*, quod soloecum esset. Recte in Turnebiana *ἦν*. Mendum non vidit Grotius Floril. Tit. XLIII, ubi *εἰ* dedit, tametsi Stobaei scriptus liber habet *ἦ* depravatum ex *ἦν*.“ Cum Aldina, ut iam supra demonstratum est, aut Parisino ipso aut eius apographo nitatur, Turnebiana vero sequatur Demetrii Triclinii recensionem, hominis parum quidem docti, qui, ut ait Elmsleius, minime erat dignus, qui Sophoclis textus refingendi laborem susciperet, mea quidem sententia res iudicata est. Accedit autem ad Aldinae auctoritatem firmandam, quod Grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 144, 23 versum, de quo agimus, citat, ut *εἰ* cum subiunctivo construi posse ostendat. Apud Homerum et tragicos *εἰ* omissa particula *ἄν* (*κέν*) saepissime cum coniunctivo coniungi nemo ignorat. Solutae orationis scriptores *εἰ* pro *ἔάν* vel *ἦν* perquam raro et ita usi sunt, si quid significandum esset, ut Stallbaumius adnotat ad Pl. leg.

958, d, quod, cum per se re vera fieri posset, tamen non item ex causarum contingentium nexu penderet neque pro rerum aliarum condicione evenire cogitandum esset. Cf. Schneider ad Pl. civ. 579, d; Kühner ad Anab. 3, 1, 36. A posterioris temporis scriptoribus velut a Dionysio Halic., Diodoro, Luciano, Plutarcho *el* cum subiunctivo coniunctum satis saepe usurpatur. De hac re v. S. Baehr ad Plutarch. Artax. p. 24; Jacob ad Luc. Tox p. 53.

ἀκροτάταν εισαναβᾶσ'
ἀπότομον ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν.

Locus, de quo nunc acturi sumus, eis adnumerandus est, qui ingentem fere ansam disputandi interpretibus dederint. Sed quamvis in restituenda genuina scriptura ea, qua par est, subtilitate viri docti usi sint, omnium tamen, qui loco sanando operam dederunt, nemo adhuc sententiam protulit, in qua acquiescere possem. Textum, qui est in codicibus, aperta prae se ferre depravationis vestigia negari nequit. Nam forma eius metrica, uti tradita est, versibus strophicis non respondet. Quare ut corruptam codicum lectionem emendarent, multa viri docti coniecerunt. Levioris momenti coniecturis silentio, quod merent, praetermissis de paucis eisque gravissimis commemorare satis habeo. Quae quo facilius inter se comparari possint, singulas brevi in conspectu ponam:

Brunckius: *ἀκροτάταν εισαναβᾶσ'*

ἀπότομον ὄρουσεν νιν εἰς ἀνάγκαν,

Schneidewinus: *ἀκροτάταν εισαναβᾶσ'*

ἄκραν ἀποτμον ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Erfurdtius-Hermannus: *ἀκρότατον εισαναβᾶσ' ἐς*

ἀπότομον ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Arndtius [Quaest. Soph. Brandenburgi novi a. 1844] eumque secuti Dindorfius, Wunderus, alii:

ἀκρότατον εισαναβᾶσ'

αἶπος ἀπότομον ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Herwerdenus [Exerc. crit. Hagae comitum a. 1862]:

ἀκρότατον εισαναβᾶσ'

[ὄρος], *ἀπότομον ὄρουσεν εἰς τιν' ἀγκῶν,*

Heimsoethius [Kritische Studien zu den Griech. Tragikern. Bonn 1865]:

ἀλίβατον εισαναβᾶσ'

ἄκραν ἀποτμον ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Schubertus: *ἀκρότατον εισαναβᾶσ' [ἄκρας]*

ἀπότομον ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Wolffius: *ἀκρότατα γεῖσ' ἀναβᾶσ'*

ἀπὸ στομάτων ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Muffius: *ἀκρότατα γεῖσ' ἀναβᾶσ'*

ἀπομοιτάταν ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν.

De his coniecturis pauca tantummodo adiciam. Nam quae ad veram lectionem indagandam a viris doctis excogitata sunt si singula vellem excutere, et fines huic commentationi concessos excederem et eorum, qui hasce adnotationes perlegere non dedignantur, praeter modum patientia abuterer. Quare paucis rem absolvam.

Ut metrum antistrophicum strophico accommodarent, alii aliam viam ingressi sunt. Qui strophicum *ὑπίποδες* sanum putabant, codicum *ἀκροτάταν* in *ἀκρότατον* vel *ἀκρότατα* vel *ἀλίβατον* mutarunt; plerique praeterea substantivum, cui adiectivum praecedens adhaerescere posset, in textum inseruerunt. Quod Brunckius proposuit, qui quidem *ἀπότομος* substantivum esse vult, duplici vitio laborat. Primum enim *ἀπότομος* toto sermone Graeco nunquam substantivi vim habet; deinde verbum *ὄρουσεν*, quod scholiasta interpretatur *πέπτωκεν*, non nisi intransitive usurpatur. Reliquorum coniecturas, imprimis Herwerdeni, Heimsoethii, Wolffii, Schuberti, Muffii, ut longius repetitas, non probo. Nec magis mihi placet ratio, qua Erfurdtius et Hermannus loco nostro lucem afferre studuerunt, cum praepositionem *ἐς*, quam metri causa arbitrio suo addiderunt, eo minus loco suo esse persuadere mihi possim, quod proximo versu eadem voce poeta utitur. Quare cum emendationum, quas proposuerunt viri docti, nulla ea sit, quae mihi arrideat, nova quaerenda erit, quae et a codicum lectione minime recedat et exactam strophae et antistrophae responsionem efficiat. Ut sub voce *ὑπίποδες* iam exposui, de antistrophicae lectionis *ἀκροτάταν* integritate non habeo, quod dubitem. Quod vero attinet ad substantivum, cuius defectus criticis adeo suspiciosus visus est, ut

in diversissimas coniecturas abirent, equidem tale in archetypo fuisse nego. Satis notum est Graecos in puro puto adiectivo acquiescere, si verbum substantivi, quod suppleendum est, notionem continet. Ut igitur Oed. R. 810 οὐ μὴν ἴσῃν γε ἔτισεν intellegitur *τίσιν* vel *τιμωρίαν*, Eur. Elect. 835 ὅπως πευστηρίαν θοινασόμιστα — θοίνην, Hdt. 3, 119 ἔδησαν τὴν ἐπὶ θανάτῳ — δέσιν. sic nostro loco *εἰσαναβαίνειν* substantivum *ἀνάβασιν* complectitur, ita ut *ἀκροτάταν* [sc. *ἀνάβασιν*] *εἰσαναβαίνειν* nihil aliud significat nisi „altissimum ascensum“ i. e. „fastigium“ ascendere. Verbo autem *εἰσαναβαίνειν* notionem ascendendi inesse Hom. Od. 2, 172 probatur. Sed quid versui 877 faciendum putabimus? Res mea quidem sententia nihil habet difficultatis. Loco nostro ita consultum velim, ut missum facto, quod exstat in La, *ἀπότομον* legatur *ἄποτμον ἄγαν ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν*. *Ἄποτμον* cod. Dresd. B exhibet; *ἄγαν*, quod saepissime significat „valde“, cum adiectivis ita coniungi potest, ut superlativum efficiat. Facillime autem potuit excidere, si nobiscum reputamus librarium, cum apographum suum exararet, voce *ἀκροσΑΤΑΝ*, quam modo scripserat, adductum esse, ut *ἄγαν* omitteret. Quae si recte disputavi, lectionem habemus, quae et aptissimam sententiam et accuratissimam metri responsionem praebet. Versum 876 *ἀκροτάταν εἰσαναβᾶσ'* optime quadrare cum antithetico *ἔνπιπαγεις οὐρανίαν* iam supra demonstratum est; versui autem 867 *δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὄν' Ὀλυμπος*, qui constat ex anacrusi, quam sequitur dipodia logaedicā, quam excipit tripodia trochaica antistrophicus, quem scribendum esse statui *ἄποτμον ἄγαν ὄρουσεν εἰς ἀνάγκαν*, exacte respondet. Sententia est vero: Insolentia, ubi altissimum fastigium ascenderit, in locum valde praecipitem irruet.

ἐνθ' οὐ ποδὶ χρησίμῳ χρῆται. *ἐνθα*, quod libri manu scripti tuentur, in editione Turnebiana in *ἔθι*, a Nauckio in *ἔνα* mutatur. Quam mutationem supervacaneam esse unusquisque videt et aperte ostendit Ellendtius, qui in Lex. Soph. tom. I. p. 605 sub hac voce docet apud Sophoclem *ἐνθα* et proprie et tralate semper „ubi“ significare, nunquam „ibi“. Quae cum ita sint, a codicum lectione recedendum esse nego. Quod ad sensum attinet, verba *οὐ ποδὶ χρησίμῳ χρῆται* procul dubio sic intellegenda sunt: Insolens, ubi in calamitatem incidit, ex pede fructum percipere non potest i. e. perniciem effugere nequit. — Adnotatum denique velim veri esse simillimum poetam eiusdem stirpis vocabulis *χρήσιμος* et *χρησθαί* hoc loco usum esse de industria, id quod Herwerdenum fugisse videtur, qui pro *χρησίμῳ* scribendum censuit *ὄνσιμῳ*. Non recte opinor. Nam praeterquam quod viri docti coniectura longius a vulgata scriptura recedit, quam ut cuiquam possit probari, ipsa vocabula *χρήσιμος* et *χρησθαί* traditam lectionem integram esse argumento sunt.

πάλαισμα aliis callidum consilium et vafrum significare videtur, aliis certamen, ad quod subeundum maiore quadam virium intentione opus est. Qui voci *πάλαισμα* illam notionem subiciunt, Oedipi calliditatem intellegi volunt, qua aut Laio interfecto regnum occupaverit aut Sphingis aenigma a Thebanis non intellectum dissolverit. Quibus altera placet significatio, locum, de quo acturi sumus, ita accipiunt, ut voce *πάλαισμα* nihil aliud nisi Laii interfectoris investigationem indicari contendat. Atque hanc interpretationem probare videtur glossa ab Ant. Francino scholiis addita: *πάλαισμα, ἤγουν τὴν ζήτησιν τοῦ φόνου τοῦ Λαῖου*. Quare Brunckius adnotat: „Non erat, cur in definienda vocis *πάλαισμα* potestate tantopere haesitarent interpretes. Jusserat Apollo, ut Laii occisor investigaretur. Ex Jocastae verbis timere potuit chorus, ne ab hac inquisitione rex desisteret, quod ne fieri sinat deum precatur.“

Hanc fere fuisse poetae voluntatem inde a Brunckii temporibus usque ad nostram aetatem plerique pro certo habuerunt interpretes. Nam quod Musgravius *πάλαισμα* Alcibiadis accusationem respicere videri dicit, nullius mea quidem sententia momenti est, cum, ut supra iam vidimus, in Sophocle interpretando ad res Atticas recurrere mirum in modum Musgravii proprium sit. Nihilominus rem ita se habere non adducor, ut credam. Choro hae partes datae sunt, ut generatim quasi et universe loquatur. Quare celebrata in strophā morum integritate in antistrophā, quae mala ex legum divinarum violatione oriri soleant, exponit. Sed quid hoc loco sibi velit digressio a re, intellegere non possum. Parum sibi chorus constaret, si in cantico, quo in universum leges violatas commentatur, de Laii percussore investigando Thebanos vellet admonere. Quod si faceret, sententiarum ordinem inepte incommodeque interrumperet. Accedit, quod offendo in verbis *καλῶς ἔχον*, quae quidem in chori ingenium quadrare negaverim. Procul dubio tyrannicidam investigari chori quoque permultum interest; sed cum, quos eventus res habitura sit, animo iam praesagiat, fieri non posse arbitror, ut id, quod regem, quem quamvis culpa inquinatum valde habet in deliciis, ad interitum vocaturum sit, bene se habere dicat. Ad extremum denique, si eo animo esset,

vehementer chorus a se ipse dissentiret. Postquam enim brevi ante clara voce exclamavit: Certam civitati tulit salutem Oedipus; quapropter iudicio nunquam pravus censebitur! vix credendum est chorum, licet fabula procedente rerum series suspicionem eius auxerit, adeo a se desciscere, ut non ita multo post dilectissimi regis interitum civitati saluti esse contendat. Quid ergo? Desperandusne hic est locus? Minime. Cum sententia non constet, caliginem, quae loco nostro offusa est, perversa scriptura emendanda dispellamus oportet. Virorum doctorum, qui hoc modo textui depravato mederi conati sunt, Otto, ut aliorum coniecturas reticeam, pro πόλει πάλαισμα legendum censuit πάλαι πόλισμα, cum Herwerdenus πάλαισμα in νόμισμα mutari mallet. Neque vero feliciter rem gessit Otto: quod proposuit, quantum equidem iudicare possum, eodem, de quo supra dictum est, vitio laborat sententiarumque nexum praeter necessitatem interrumpit. Herwerdeni coniectura multo magis mihi arridet; sed cum aliam invenerim, quae fortasse magis etiam probetur, ne in Herwerdeni quidem medela haereo. Pro πάλαισμα velim legatur σέβασμα, quod vocabulum non solum significat id, quod veneramur, sed persaepe etiam idem valet ac σέβασις i. e. verecundia. Qua coniectura probata, cum omnia bene inter se cohaereant, nihil iam negotii superest. Nam hoc chorum exprimere voluisse consentaneum est: Is, qui temere multa perpetravit, quae neque opportuna neque utilia sunt, non solum ipse irruit in calamitatem, unde frustra conatur aufugere, sed aliis etiam perniciosi est. Salus reipublicae civium morum probitate continetur. Quare ne unquam verecundiam pietatemque, qua nihil est civitati salutaris, tollat deum oro atque rogo. Licet alii de recta via deflectant aut ab officio decedant, ego spem fiduciamque meam in Apolline ponere eiusque tutela niti non desinam.

Στροφή β.

ὑπέροπτα. Generis neutrius accusativus pluralis adverbii vim habet. Similiter atque hic legitur Soph. Ai. 197 ἀνάσβητα δρμᾶται. Eur. Ion. 717 λαμνηρὰ πηδᾶ. In codice Medico καταφρονητικῶς glossema adscriptum est.

Δίκας ἀφόβητος. Recte scholiasta: τὴν δίκην μὴ δεδοικώς, non timens iustitiam. Adiectiva cum *a* privativo composita partim propter simplicium notionem, partim propter solum *a* privativum genitivum recipiunt. Ex illorum numero sunt ἀναμάσθητός τινος Hdt. 1, 155, ἄφανστός τινος Soph. Oed. R. 969, ex horum ἀπαθής τινος Hdt. 1, 32; 3, 147, ἄδωρός τινος Pl. conv. 197, d, ἀνάριθμός τινος Soph. El. 232. Cf. Kühner, a. a. O. § 421, A. 4.

οὐδέ. Si quis fortasse in eo offendant, quod in enuntiato condicionali οὐδέ legitur, non μηδέ, is secum reputet ea forma consulto hic usum esse poetam. Verba δαιμόνων ἔδη σέβων solum antecedenti sententiae negativae Δίκας ἀφόβητος opponi voluit.

ἔδη. Interpretes, quorum quidem editiones in manibus habuerim, quamquam ad unum omnes codicum scripturam retinent, de notione tamen vocis ἔδος diversas in sententias abeunt. Aliis enim „sedes“, „templum“, aliis „simulacrum“, „imago“ ἔδος significare videtur. Utra h. l. notio sententiae accommodatior sit, ei expiscentur, qui in tradita scriptura haerent; equidem suo loco esse vocem ἔδος ut credam, ab animo meo impetrare non possum. Cur vitio det chorus Oedipo et Jocastae, quod templa deorum non debita veneratione prosecuti sint, praesertim cum tota fabula nihil exstet, quod regem regisque uxorem in eam deorum immortalium contemptum insinuationem vocet, non liquet. Nec magis adducor, ut credam de simulacris hoc loco cogitasse poetam. Nusquam enim de imaginibus ab Oedipo et Jocasta violatis fit mentio. Musgravius videlicet in his versibus quot voces totidem fere lineamenta Alcibiadis agnoscens, quin chori verba ad Hermarum mutilatorem referenda sint, plane non dubitat. Habeat sibi has nugas! Quemquam ad sententiam eius accessurum esse vix credibile est. Res, ut mihi quidem videtur, longe aliter se habet. Totus hic locus procul dubio spectat ad Oedipum et Jocastam deorum oracula desperantes. Quae cum ita sint, ἔπη legi melius duco. Qua coniectura probata nihil fere in codice Mediceo mutatur et chori sententia aptissima prodit. Hoc enim Thebanorum senes cantico suo exprimere voluisse verisimile est: Si quis dictis factisque insolenter se gerit, ultricem iustitiam non veritus nec divum vaticinia venerans, male ille pereat luatque poenae superbiae infaustissimae! Quod ἔπος de vaticinio vel oraculo h. l. dictum est, nihil habet offensionis. Haud raro hanc notionem voci ἔπος inesse cum alii loci docent tum hi: Soph. Tr. 823 τοῦπος τὸ θεοπρόπον τῆς παλαιφάτων προνοίας. Oed. R. 89 ἔστιν δὲ ποῖον τοῦπος; Hdt. 1, 13 τούτου τοῦ ἔπος λόγον οὐδένα ἐποιεῦντο. ib. 7, 143. Si cui per-

severanti in codicum scriptura lectio a me prolata non probetur, de sententia eum movere nolo; sed permittat, ut rem afferam, quam ad confirmandam meam coniecturam maximi esse momenti persuasum mihi est. Si verba, ut in codicibus tradita sunt, retinentur, chori argumentationem inconcinnitate laborare nemo non videt. Levi mutatione facta haec offensio statim sublevatur. Sententia enim εἰ τις ἐπέροπτα χερσὶν ἢ λόγῳ πορεύεται sequentibus versibus ita accuratius explicatur, ut voci χερσὶν verba Δίκας ἀφώβητος, voci λόγῳ verba οὐδὲ δαιμόνων ἔπη σέβων mirum in modum respondeant. Quae cum ita sint, quin ἔπη genuina scriptura habenda sit, plane non dubito.

ἔλοιτο. Medii generis forma indicatur flagitiosos homines in Fortunae malae laqueos ita incidere, ut eos aufugere omnino nequeant.

δυσπότμον χάριν χλιδᾶς. χλιδῆ scholiasta interpretatur τρυφή, ὑπερηφανία. χλιδῆ dicitur δύσποτμος, quod eum, qui superbiae indulgeat, infelicem reddit et ad extremum pessum dat. Ad rem cf. Soph. fr. 679 τίς δ' οἶκος ἐν βροτοῖσιν ὠλίβισθη ποτέ, γυναικὸς ἐσθλῆς χωρὶς, ὀγκωθεὶς χλιδῆ; In v. 889 Musgravius legit "H, εἰ μὴ τὸ κέρδος κερδανεῖ δικαίως, ut ἦ cum sequente diphtongo coalescat atque haec prodeat sententia: alioqui, si lucrum iniuste lucrifecerit. Quod non probo. Tantum enim abest, ut poeta inde a v. 889 novam materiam afferat, ut contra ad ea, quae in protasi disputavit, redeat accuratiusque in sententiam ibi prolatam inquirat.

ἔρξεται a verbo ἔργω ducitur et est „abstinebit“. Ex versu superiore repetenda est particula μή, ita ut sensus sit: Si quis non iustis lucris studebit neque ab impie factis abstinebit. — Pro ἔρξεται, quod Aldina et codices tuentur, Elmsleius edidit εἴρξεται, cum Musgravius legi vellet καὶ τῶν ἀσέπτων ἔρσεται, et si ex impie factis creverit, i. e. potentiam auxerit. De hac coniectura non est, cur multis verbis disputem. Traditam lectionem veram esse verbum ἔξεται, quod in v. 891 ubique legitur, documento est. Procul dubio enim poeta vocabulum ἔξεται, i. e. tanget, consilio atque ratione antecedenti ἔρξεται, i. e. abstinebit, opposuit. Quod vero formam ionicam ἔρξεται pro attica εἴρξεται usurpatam invenimus, quae res Elmsleio displicuisse videtur, cum in chori canticis tragicos vel de industria antiquas epicorum formas adscivisse satis notum sit, cur offenderit in hac re vir doctus, equidem non intellego.

ματάζων, contractum ex ματαίζων, cum iota subscripto scribendum est. Cf. Herodian. περὶ μου. λέξ. p. 23, 7. Scholiasta ματάζων explicat ματαιοφροσῶν.

In codice Mediceo v. 893—894 sic scripti sunt:

τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖσδ' ἀνῆρ θυμῶι βέλη
 ἔρξεται (sine spiritu) φρηᾶς ἀμύνει;

Vulgata scriptura depravata est inque primis arguit corruptelam vox ἔρξεται, quam ex antecedentibus librorum errore in versum 894 irrepsisse inter omnes, qui huic loco tractando operam dederunt, constat. Nec latet causa, cur eo inclinent criticorum sententiae, ut ab tradita scriptura aberretur. Vix credendum est, idque adsentior viris doctis, in uno eodemque versu usum esse poetam verbis ἔργειν et ἀμύνειν; nam idem fere significant. Huc accedit, quod inter viros doctos ambigitur, utrum θυμῶ, quod Laurentianus exhibet, defendi possit necne. Quae cum ita sint, praeter Elmsleium, qui vulgatam lectionem retinet, nisi quod hic quoque pro ἔρξεται dedit εἴρξεται, nemo fere inter interpretes est, qui locum suspiciosum coniectando non temptaverit. Emendatorum huius loci agmen ducit Brunckius, vir de Sophocle tractando unus omnium meritissimus, qui pro ἔρξεται scribi vult ἔξει, quod idem valeat atque δυνήσεται. Erfurditius pro ἔρξεται scribit δέξεται et θυμῶ mutandum censet in θυμοῦ, quod Mosq. a ut variam lectionem exhibet, ita ut hic sensus prodeat: Quisnam, si ita res se habet, irae tela i. e. iram ab animo suo arcere volet? De verbo δέχεσθαι autem „velle“ significante provocat ad Schaefer. ad Dionys. de compos. verbor. p. 365. Musgravius eumque secuti Hermannus, Schneidewinus, Dindorfius, Ritterus, Schubertus, Muffius, alii pro ἔρξεται in textum receperunt εὔξεται: quis speraverit?, cum Weckleinio necessarium visum sit scribere εἴσεται, Engero ἀρχέσει. Plane diversa sunt, quae Wolffius proposuit, cum loco, de quo agitur, ita consultum velit, ut eliminata voce ἔρξεται cum Hermanno mutet θυμῶ in θεῶν et pro infinitivo ἀμύνειν, id quod iam Hartungio placuerat, coniunctivum dubitativum ἀμύνῃ substituat. Alias aliorum coniecturas reticeo. Wunderus solus nescio quo pacto hunc locum desperat librorumque scripturam, quamvis vitiosissima ei videatur, intactam relinquit. Sed quid tandem loco nostro faciendum putabimus? Non infitior criticos loco suppositicio acute arguteque lucem afferre studuisse coniecturasque, quas proposuerunt, eas esse, ut haud sciam, an nulla digna sit, quae reiciatur. Quae cum ita sint, excusatum me velim, si, quamvis invitum adducar, ut emendationum silvam augeam, ea tamen, quae de hac re in mentem mihi venerunt, in medium

proferam. Locum depravatum ita sanari volo, ut cum Erfurdio mutem *θυμῶ* in *θυμοῦ*, quod etiam in cod. Lips. a ad *θυμῶ* supra scriptum est, et pro *ἔρξεται* scribam *ἄρξεται*. Si cui verbum a me propositum non placeat, is, quae vis insit verbo *ἄρχεσθαι*, secum reputet. Coniunctum cum infinitivo nihil aliud significat nisi „intendere“, „se expedire“ vel, ut vernaculo sermone utar, „sich anschicken“ semperque ita usurpatur, ut verbi, cuius infinitivus exstat, notio prematur. Quae coniectura si vera sit, hoc dicit chorus: Nemo, si ita res se habet, i. e. si vaticinia deorum impune contemnentur, irae tela ab animo arcere intendet. Unusquisque irae indulgere paratus erit. Quod librarii mendo ex *ἄρξεται* factum est *ἔρξεται*, nihil est, cur miremur. Postquam autem *ἔρξεται*, ad quod librarii oculos aberrasse verisimile est, falso in textum irrepsit, fieri non potuit, quin, ut Hermanni sententiam meam faciam, quoniam *θυμοῦ* iam intellegi non poterat, id in *θυμῶ* mutaretur, ut aliquis saltem sensus existeret. Haec fere habui, quae dicerem. Utrum recte disputaverim an secus, doctioribus diiudicandum relinquo.

Χορεύειν, saltare, pars cultus deorum, hoc loco pro omni deorum cultu positum est. Nam hoc exprimere vult chorus: Si facinora prava in honore sunt nec puniuntur, quid reverentia deorum opus est? Nauckius et Schmidtus in verbo *χορεύειν* adeo offenderunt, ut ille provocans ad glossema *πονεῖν ἢ τοῖς θεοῖς*, in La voci *χορεύειν* additum, *ποῖ δεῖ μ' εἶτε λεύσσειν* vel tale quid scribi vellet, hic *χορεύειν* in *θυνοσκεῖν* mutandum censeret. In refutandis his coniecturis nolo longus esse. Cum lectio, quam omnes libri tuentur, optimum, ut vidimus, sensum praebeat, a tradita scriptura recedere supervacaneum atque inutile est.

Ἀντιστροφὴ β.

ἄθικτος est „intactus“, tralate „sacer“. Terrae umbilicus accipiendus est de adyto templi Delphici, quod in medio orbe terrarum situm esse veteres consentiunt. Cf. Plat. Rep. IV, 427. c: *οὔτος ὁ θεὸς (Ἀπόλλων ὁ ἐν Δελφοῖς) περὶ τὰ τοιαῦτα πᾶσιν ἀνθρώποις πάτριος ἐξηγητὴς ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος ἐξηγεῖται*. Musgravius γὰρ *ὀμφαλόν* non de templo Delphico intellegit, sed de lapide illo albo, qui Delphis multitudinis arcendae causa saepto inclusus erat. Sed nimis quaesita est haec interpretatio, quam ut probari mihi possit.

Ἀβαῖσι est dativus locativus, quem solutae orationis scriptores perraro, poetae saepissime sine praepositione adhibent. Ad rem Hesychius s. v. *Ἀβαι* adnotat: *τόπος περὶ τὴν Φωκίδα, οὗ μαντεῖον Ἀπόλλωνος Ἀβαίων*. Accentus incertus est, cum et *Ἀβαί* et *Ἀβαι* inveniantur. Plerique editores secuti Aldinam et Juntinam in textum receperunt *Ἀβαί*, quae scriptura Medicei et scholiastae auctoritate fulcitur; Brunckius et Erfurdus *Ἀβαι* praetulerunt, quae forma ab Herodiano apud Arcadium pag. 104, 12 et ab Hesychio probatur. Et *Ἀβαι* et *Ἀβαί* scriptum esse Eustathius ad Hom. B 536 p. 279, 1 testatur his: *καὶ Σοφοκλῆς δὲ ὁμοίως πληθύνει παρ' ἐκείνῳ δὲ καὶ ὀξύνονται κατὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων αἱ Ἀβαί*.

Ὀλυμπία. *Ὀλυμπία* locus Elidis est Jovis Olympii cultu celeberrimus. Cf. Pind. Ol. 8, 2 *ἵνα μάντιες ἄνδρες ἐμπύροις τεκμαιρόμενοι παραπειρῶνται Διὸς ἀργικραύνον*. De more choros ad templa mittendi plura affert Musgravius ad Eur. Ion. 475.

*εἰ μὴ τάδε χειρόδεικτα
πᾶσιν ἁρμόσει βροτοῖς.*

Accurate scholiasta poetae voluntatem expressisse videtur, haec verba sic explicans: *εἰ μὴ ταῦτα τῶν χρησμῶν ἢ τὰ λεχθέντα ὑπὸ Ἰοκάστης φανερὰ καὶ κατάδηλα γένηται, οὐκέτι τιμήσω θεούς*. Quod ad singula attinet, pronomine *τάδε* procul dubio Laii oracula ab Jocasta in dubium vocata significantur. Verbum *ἁρμόζω*, h. l. intransitive positum, idem valet atque „aptus sum“, „congruo“; dativus *πᾶσι βροτοῖς* pendet a voce *χειρόδεικτα*. Chorus igitur exclamans: Non est, cur deorum templa visere pergam, nisi haec omnibus hominibus plane congruent vel, ut vernaculo utar sermone, wenn nicht dies handgreiflich für alle Menschen stimmen wird, oraculi veracitatem divulgatum iri persuasissimum sibi esse exprimit. Hic locus, quamvis, ut mihi quidem videtur, ad sensum facillimus sit, magnopere tamen vexavit interpretes. Ambigitur enim inter viros doctos, quomodo vocabula *τάδε* et *ἁρμόσει* accipienda sint; quin Wunderus probabilem explicationem adeo desperat, ut difficultatem, qua locus laboret, aliis se expediendam relinquere profiteatur. Accuratius in interpretum altercationem inquirere supervacaneum est. Quicumque libero iudicio

ac non praeiudicata opinione ad locum nostrum accesserit, is mihi adnuens poetam, quae voluit dicere, tam perspicue expressisse concedet, magis ut non potuerit.

ὀρθά adverbialiter a poeta usurpatur pro *ὀρθῶς*. Accusativus generis neutrius saepissime adverbii partes suscipit. Cf. Curtius, Griech. Gram. § 201. — *εἶπερ ὀρθ' ἀκούεις* nihil aliud significat nisi: si quidem vere es vel vocaris, nempe omnium rector, non, ut quibusdam placuit, si omnia audis, ut fecit Manso. De *ἀκούειν* significante „esse“ vel „vocari“ conferas velim Soph. Oed. C. 988 *ἀλλ' οὐ γὰρ οὐτ' ἐν τοῖσδ' ἀκούσομαι κακὸς γάμοισιν*. Demosth. pro cor. p. 241 *ἀντὶ γὰρ φίλων καὶ ξένων, ἃ τότε ὀνομάζοντο, ἠγνῖκα ἐδωροδόκουν, νῦν κόλακες καὶ θεοῖς ἐχθροὶ καὶ τᾶλλα, ἃ προσήκει, πάντ' ἀκούουσιν*. Theocr. 29, 21 *αἶ γὰρ ὧδε ποῆς, ἀγαθὸς μὲν ἀκούσαι ἐξ ἀστῶν*.

πάντ' ἀνάσσω. *ἀνάσσειν*, cum accusativo πάντα coniunctum, transitivi verbi habet vim. Similiter atque hoc loco legitur Soph. Tr. 126 *ὁ πάντα κραίνων βασιλεύς*. Arnoldius, qui in sententia non minus quam in constructione offendat, vulgatam lectionem in πάντα *λεύσσω* mutari vult, qua mutatione et tautologia et accusativus pendens a verbo *ἀνάσσω* moveatur. Id viro docto adsentiri non possum. Nam cum saepissime, ut iam supra demonstratum est, fiat, ut eadem sententia a poetis bis diverso modo exprimatur et accusativus pendens a verbo regnandi a Graecorum more dicendi non abhorreat, ne paulo audacius in coniectura proponenda Arnoldius versatus sit, vereor.

μὴ λάθοι. Optativum praeter plerosque codices tuentur schol. Bodl. Trin. Mosq., cum Elmsleio et Hermanno, quod hic non tantum optet, sed etiam oret chorus, coniunctivus praestare videatur. Similiter Elmsleius adnotat ad Eurip. Med. 332 *Ζεῦ, μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὅς αἴτιος κακῶν*, quod ita apud Athenaeum quoque est: „Haud tamen deterius esset *μὴ λάθη*. Apud Soph. Trach. 1228 malim *λάβη*, licet *λάβοι* cum vulgatis libris habeat cod. Harleianus 5743.“ Quid scripserit poeta, difficile est ad diiudicandum. Quare rem in medio relinquam.

ἀθάνατον αἰὲν ἀρχάν. Offendit in his Weckleinus, quod vocabulorum *ἀθάνατον αἰὲν* non solum alterum inutile sit, sed etiam ex ea ratione, qua *αἰὲ* cum adiectivis coniungi soleat (allzeit unsterblich), notio particulae *αἰὲ* ab notione vocabuli *ἀθάνατος* abhorreat. Quare *ἀθάνατον* in *ἀδάματον* mutandum censet. Non recte opinor. Nam praeterquam quod meo quidem iudicio vox *ἀδάματος* h. l. substantivo *ἀρχή* parum accommodata esse videtur, omnino non opus est contra codices scribere, cum librorum lectio optime possit defendi. Supervacuo vocabulo onerari vocem *ἀθάνατος* nego. *Αἰὲν ἀθάνατος* pleonasmus est, qualis a scriptoribus classicis et prosae et poeticae orationis saepius adhibetur. Quare hoc iam impedire debuit virum doctum, ne illi coniecturae accederet.

*φθίνοντα γὰρ Λαῖον
θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη.*

Haec verba, ut in codice Mediceo scripta sunt, non integra esse respondententes versus strophici documento sunt. Desunt enim, ut exacta stropharum responsio efficiatur, in v. 906 quattuor syllabae. Si, quae ab interpretibus ad lacunam explendam ingeniose excogitata sunt, carptim enarrabo, excusatum me velim: coniecturarum vis tanta est, ut fieri non possit, ut omnes examinem. Quare superiorum emendationibus praetermissis recentiorum imprimis curas spectare satis habebō. Schneidewino auctore lacuna, quam metrum indicat, ita tollenda est, ut post *γὰρ* scribatur *Πυθόχρηστα*, quam emendationem ea res fulcire videatur, quod saepissime Apollinis oracula a veteribus *Πυθόχρηστοι νόμοι* vel *Πυθόχρηστα θεσπίσματα* vocata sint. Heimsoethius lacunam explet vocabulo *παλαιγενῆ* sententiamque suam his verbis illustrat: „Oed. Tyr. v. 906 *φθίνοντα γὰρ Λαῖον θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη* fehlen im La 4 Silben, anderwärts findet sich noch *παλαιά*; sollte es nicht, wie Prom. v. 220 statt *τὸν παλαιγενῆ Κρόνον* auch *τὸν παλαιὸν Κρόνον* in den Handschriften vorkommt, in *Λαῖον παλαιγενῆ θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη* zurückzuübersetzen sein?“ Ritterus verba *Λαβδακείου θρέμματος* vel tale quid glossa *Λαῖον* loco suo mota esse coniecit. Arndtio visum est scribere *φθίνοντα γὰρ Λαῖον παλαίφατα*. Bergkio *φθίνοντα γὰρ Λαῖον παλαιγενοῦς*, Holubio *Λαῖον ματεύματα*. Schubertus ita corrupto loco subvenire conatur, ut lacunam expleat verbis *νῦν τὰ κλεινά* et *Λαῖον* mutet in *Λοξίον*, cum Muffius legi malit *Πυθόχρηστα Λαίον*. Alias aliorum coniecturas reticeo. Veram poetae sententiam unquam restitutum iri sperare vix possumus. Coniecturarum autem, quibus loco depravato lucem afferre conamur, ea procul dubio vero proxima est, quae, cum bonum praebeat sensum, a codicum lectione minime recedat. Cum sic mihi hoc videatur, ab animo meo impetrare non possum, ut virorum doctorum, quos commemoravi, medelis adsentiar. Longius enim eos a codicibus aberrare existimo. Ad sanandum locum optimam meo iudicio praebet ansam cod. Par. A, in quo legitur *φθίνοντα γὰρ παλαιὰ Λαῖον θέσφατ'*. Si huius codicis lectionem respicimus et post *γὰρ* in textum inserimus *τοι*, quae particula enclitica facillime

ante π excidere poterat, cum saepissime, ut Hermannus adnotat, τ προ τοι a librariis scriptum inveniatur, nihil iam difficultatis superest. Versus strophicus 893 τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖσδ' ἀνήρ θν-
μοῦ βέλη constat ex monometro iambico, quem excipit dimeter trochaicus catalecticus. Huic versus
906, quem Sophocli reddimus sic: φθίνοντα γάρ τοι παλαιὰ Λαῖου, exacte respondet.

ἔξαιροῦσι scholiasta interpretatur ἀφανίζουσιν. τὰ γὰρ ἐπὶ Λαῖου θεσπισθέντα ἐκφανλίζεται ὑπὸ
Ἰοκάστης καὶ παραγράφεται καὶ ψευδῆ νομίζεται. ἔξαιροῦσι, pro quo male Brunckius, Vauvillierius,
alii ἔξαιροῦσι legi volunt, impersonaliter positum est. Atque consulto non satis perspicue chorus
loquitur. Cum dicit: Spernunt oracula neque amplius eis fidem adhibent, tacite reprehendit reginae
potissimum levitatem, qua consentiens cum coniuge coram publico vaticinia Laio olim de filio
reddita improbaverat. Atque haec hactenus.